


Leyde, Apollonius Sophistae

VITA.

Ludovicus Leydi natus sum Culmae d. XIV. m. Octobris a. [illegible] atque fide initiatus sum evangelica. Parentes [illegible] mihi erepti sunt: pater Theodorus a consiliis iustitiae [illegible] Borussorum obiit a. 1885, mater carissima Alwina de [illegible] part eum praecesserat a. 1877. Postquam per octo annos [illegible] Marienburgense frequentavi, m. Aprili a. 1880 maturitatis [illegible] condonatus Lipsiam me contuli, ut philologiae me dederem. [illegible] tria semestria studiorum fundamenta ieci. Deinde [illegible] Regimonti in patria litterarum universitate versatus per annum Jenae seminarii philologici nec non theotisci fui sodalis. Lipsiam reverti m. aprili a. 1888 studiis meis finem impositurus. Ubi scholis interfui virorum doctissimorum Curtius, Lipsius, Ribbeck, Hirzel, Zarncke, de Bahder, Windisch, Eckstein, Ziller, Heinze. Omnes autem praeceptores meos grato animo semper colam; maximas tamen gratias ago viris illustrissimis Georgio Curtio et Friderico Zarncke Lipsiensibus atque Georgio Goetz et Mauricio Schmidt Jenensibus, quibus quantum debeam nunquam obliviscar. —


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

DE

APOLLONII SOPHISTAE

LEXICO HOMERICO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM LIPSIENSIUM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

LUDOVICUS LEYDE

CULMENSIS.

LIPSIAE

TYPIS OSCARI PETERS

MDCCCLXXXV.

Prooemium.

Antiquitatis studium quantum processerit patefacta veterum grammaticorum doctrina neminem potest latere. Atque vel his temporibus cum merito operam navent viri docti scholiis atque lexicis servatis, unum tamen opus iniuria videntur neglexisse: Apollonii Sophistae lexicon Homericum, ex quo multi profecto atque boni fructus ad omnia studia Homerica manant. Sic egregie monet G. Curtius v. ill. „Grundzüge der griechischen Etymologie" ed. IV. p. 116, ne quis vocum Homericarum significationes extricare audeat, quin scholia Veneta atque Apollonium Sophistam consuluerit. Enimvero Apollonius etsi aliquantum novi ad ea adicit, quae scholiastae de doctrina Alexandrinorum nobis tradiderunt, tamen miserrimam lexici condicionem parum adiuverunt recentiores. Namque adhuc maculis redundat quarum cum J. Bekkerus, qui post Villoisonem (1773) et Tollium (1788) tertius recensuit lexicon anno 1833, ne manifestissimas quidem saepe deleverit, novae editionis desiderium reliquit. Nec satis constat de fontibus lexici, nam qui viri docti dedita opera scripserunt de lexici origine, haud ita multum praestiterunt. Polakius enim („Over het ontstaan en de samenstelling van het Lexicon Homericum van Apollonius Sophista" sine loco et anno, duodecim paginarum) cum intra angustissimos spatii fines se continuisset, strinxit magis quam solvit quaestionem; Forsmanus contra („De Aristarcho lexici Apolloniani fonte" Helsingforsiae

1883) multos incidit in errores, quod ab hodierna lexici forma u genuina profectus est. Quae cum ita sint, non supervacaneum vi tur mihi denuo inquirere in Apollonium; ita autem rem institu ut primum verba faciam de genuina lexici forma, deinde de fontil extremo loco de doctrina Apollonii Sophistae. —

CAPUT PRIMUM.

De genuina lexici Apolloniani forma.

Apollonii Sophistae lexicon Homericum incredibiliter depravatum ad nos pervenisse iamdudum quidem suspicati sunt viri docti, sed quatenus pateret haec corruptio nemo hucusque in iudicium vocavit. Attamen minime neglegenda videtur haec disputatio, ut certis niti possimus fundamentis in fontibus ac doctrina Apollonii Sophistae excutiendis. Qua de causa liceat mihi, antequam graviores illas aggrediar quaestiones, accuratius perscrutari quae sit codicis Apolloniani manuscripti condicio, quae vocabulorum digerendorum ratio, quomodo et interpolatores et epitomatores genuinam lexici formam commutaverint.

§ 1.

Lexicon Apollonianum unico codice servatum est, de quo conferas ea, quae Lehrsius v. ill. praeclare disputavit, quaestt. epp. p. 68 an.: „De Apolloniani lexici Homerici codice, ne hoc antiquo auctore male utamur, monendum in accentibus, orthographia et spiritibus omni genere vitiorum eum scatere, nec fidem habendam, nisi ex disputatione, quid velit appareat etc.“ Quod rectissime dictum esse cum nemo possit infitiari, qui obiter legerit lexicon, id unum satis habeo hic monuisse versuum ex Homero adlatorum eandem esse condicionem. Sic 110, 32 v. *μέλδειν* in versu *Φ* 363 certe confido Apollonium scripsisse *κνίσην μελδόμενος*, non *κνίσῃ*, ut A. Nauckius e codice affert, cum vocem *μελδόμενος* Aristarchi vestigia premens transitivo redderet participio *τήκων*. Neque minus 155, 12 v. *Τροίης* in versu *Α* 128 *Τροΐην* pro *Τρωΐην* restituendum esse quivis intellegit. Item librario Apollonii adscribendum est, quod nunc ubique Aristarchus *τ* 343

ἐπίηρ' ἀνὰ θυμῷ scripsisse perhibetur. Voluisse enim eum adiective *ἐπιήρανα θυμῷ* liquet ex versione 73, 13 *ἐπικουρητικά* unicuique, qui novit morem paraphraseos Aristarcheae*).

Neque solum in rebus orthographicis peccavit librarius, verum etiam graviores commisit errores. Sic interdum ex uno capite fecit duo discindens, quae erant inter se coniuncta cf. p. 10 an. Est contra ubi consociaverit, quae non erant coniungenda, lemmatibus omissis. E. g. recte vidit Villoiso 116, 22 (Bekkeri ed.) pro

νηλεῖς οἷον νηλεεῖς. ἀναμάρτητοι etc. quae codex exhibet, legendum esse:

νηλέϊ οἷον ἀνηλεεῖ.

νηλιτεῖς ἀναμάρτητοι etc. —

164, 4 pro *φλέγμα τὴν φλόγα. ὁ δὲ Ἀπίων τὸν φλοῖσμον ταραχὴν λέγει* scribe:

φλέγμα τὴν φλόγα

φλοῖσβος (. . . . . .) *ὁ δὲ Ἀπίων* et quae sequuntur, cf. Tollius Ap. Soph. s. v.

§ 2.

Venimus iam ad vocabulorum ordinem, quem Apollonius secutus sit, explicandum. Neque compertum habeo, num quis observaverit lexicon rationem habere duarum ab initio litterarum**).

Atque paucis tantum locis, quos ilico omnes afferam et examinabo, neglecta videtur haec norma scilicet non ab eo, qui lexicon adornavit, sed a librariis. Sic 59, 24 pro *δυαὶ γάρ τε πύλαι* scribendum est *δοιαί.* 45, 19 pro *ἄνσχεο* haud scio, an cum J. Bekkero Ap. Soph. s. v. *ἄσχεο* legendum sit. Transmutandae sunt glossae:

βιός 51, 18 — *Βῆσσα* 51, 19;

ὀχέειν 125, 10 — *ὄφρα* 125, 12;

---

*) Tamen omni cave absolvas culpa Apollonium, quem non ita magna diligentia usum esse in scriptorum locis laudandis patet. Velut haud ita raro e duobus versibus Homericis consuit unum. Cf. e. gr.: 9, 32. *πόλλ' ἀεκαζομένους,| τείροντο δὲ νηλέϊ χαλκῷ* ex *ν* 277 et *P* 376 natum.

11, 13. *παλαιοσμοσύνης ἀλεγεινῆς | θῆκεν ἄεθλα.*

ex *Ψ* 701 et *Ψ* 700.

14, 9. *Αἵμονά τε κρίοντα | Θόωνά τε Δηΐπυρόν τε.*

ex *Δ* 296 et *N* 92. —

**) Interdum vel plures respiciuntur litterae cf. p. 10 an.

συβόσια, συμμάρψας, συμβλήμενος 146, 7—9 — *στέφει, στεινωπόν, στελέω* 146, 10—13;
φῦκος 165, 17 — *φρόνιν* 165, 18.

Denique glossa *πέφραδέ τε Τρώεσσι καὶ εὐχόμενος.* 165, 12 nihil est nisi versus Homericus abscissus de capite *φραδέος* 165, 6, ubi pro *ἐν τῇ P τῆς Ἰλιάδος* scribendum est *ἐν τῇ Ξ.* Cf. Lehrsii admirabile opus „De Aristarchi studiis Homericis"[3] p. 84. —

Interpolatas autem ipsae se produnt glossae *ταῦροι, ταύριον αἷμα, ταύρου* 156, 16—22, quae agmen claudunt vocabulorum a *τ* littera incipientium, quoniam ab Homero alienae sunt. Cf. Villoiso Ap Soph. s. v. Etiam glossa *χλόη* 168, 3 eicienda est et ipsa abhorrens ab Homero. Nec non *ἀδεῖν* 2, 13 movet suspicionem, vide infra p. 6. cf. M. Schmidtius Mus. Rhen. XII p. 141.

Quod lemmata tandem *ὅ, ὅς, οἵ, ὅν,* 118, 1—13 inter se excipiunt atque *ὥς* p. 170, 10 continuatur glossae *ω*, id unum nescio, quomodo expediam.

Omnes iam cum attulisse mihi videar locos quibus receditur a lege, eam non infirmatam esse quilibet videt. At Apollonius ipse valde dubito num auctor fuerit huius ordinis, quippe cui multae illae interpolatae glossae quas infra tractabimus optime cedant. Quae suspicio augetur, quod 90, 16 *ἴηος* in serie vocabulorum ab *ι* littera incipientium invenitur, cum Apollonium *ἤϊος* scripsisse manifestum sit. cf. Tollius s. v. atque Lehrsius[3] p. 326.

§ 3.

Enimvero interpolatores multo magis quam visum est viris doctis genuinam lexici formam depravaverunt. Nec magnam quidem vim tribuo huic rei, quod nonnullae glossae ab Homero alienae eo irrepserunt. Quarum paucae ab Apollonio ipso fluxerunt cf. e. g.:

163, 15. *φίν. εἰώθασιν ἀντὶ τοῦ σφίν ἀντωνυμικῶς χρῆσθαι τῇ φίν, ἀντὶ τοῦ αὐτοῖς ἢ αὐταῖς. οὐχ εὑρίσκεται δὲ παρ' Ὁμήρῳ, ὡς Ἀπίων τέταχεν.*

Nonnullae autem glossae ab Homero alienae inde ingressae sunt in lexicon, quod ab iis voces quaedam Homericae originem traxerunt cf. 161, 33 *φέρβειν τρέφειν ὅθεν καὶ τὴν γῆν πολυφόρβην· „πολυφόρβου πείρατα γαίης". ἀπὸ δὲ τῆς αὐτῆς ἐννοίας καὶ ὁ συφορβός* etc. 170, 30 *ὠλέναι, πήχεις ἀφ' οὗ καὶ „λευκώλενος Ἥρη" ἡ λευκόπηχυς.* 171, 22 *ὠρεῖν φυλάσσειν, ὅθεν καὶ θυρωρός καὶ πυλωρός.* Quas Apollonium inseruisse non probabile fit, si totam spectas lexici indolem.

Glossas vero, quae ne attingerent quidem studia Homerica, Apollonium admisisse omnino incredibile est. Qua de causa seriem p. 2, 10—15 *ἀᾶσθαι, ἀασιφρονία, ἄατον, ἀδεῖν* (v. supra p. 5.), *ἀάλιον, ἀβάλε*, ab interpolatoribus assutam esse opinor. Aliam propono seriem: 21, 10—13 *ἀκριτόφωνοι, ἀκτέανοι, ἀκύμων*. De 156, 16—22 *ταῦροι, ταύριον αἷμα, ταύρου* cf. p. 5.

Aliud genus interpolationis, de quo iam verba facienda sunt, minus in promptu est. Etenim cum Apollonius suum carminum Homericorum exemplar solum respiciens variis lectionibus peculiare lemma non assignavisset, eorum, qui aliis Homeri editionibus utebantur, mox parum videbatur rationem habuisse. Maioris autem erat momenti, quod verbis compositis semel sub lemmate aut suae aut simplicis formae locum dederat atque etiam complures voces significatione vel alia quadam cognatione cohaerentes uno explicaverat capite. Quae ratio cum labentibus annis minus apta appareret ad usum lectorum, qui iam non in controversias doctorum induci, sed de vocum Homericarum significationibus quam celerrime certiores fieri volebant, exstitit qui lexici formam habiliorem reddere conaretur. Qui „redactor" cum multa nova lemmata adiceret, non tam ex aliorum operibus interpolavit lexicon, quam materiam ab Apollonio congestam aliter disposuit atque circumcidit. Nam quo alio modo fieri potuerit, ut multae lexeis bis vel ter in ea quae nunc est lexici forma inveniantur equidem nescio. At commodum se praebere voluit lexicographus Homeri lectoribus: quod si proposuisset sibi, neque praetermisisset tam multas et difficiles lexeis,*) et sibi constitisset in vocabulis loco suo alphabetico inserendis. Latet autem etiamnunc e. g. explicatio

vocis	*ἀλετρεύουσι*	sub lemmate	*μύλη*	114, 7
„	*νειόθεν*	„ „	*νεαίρῃ*	115, 9
„	*πολυπτύχου*	„ „	*πτύχες*	137, 3
„	*σκηπτόμενος*	„ „	*σκῆπτρον*	142, 13
„	*ἐστιχόωντο*	„ „	*στίχες*	145, 6.

*) Augustus Brosow in dissertatione, quae inscribitur „Quomodo sit Apollonius Sophista ex Etymologico Magno explendus atque emendandus" Regimonti 1884 p. 9 quae schedas prelo iam subicienti mihi innotuit bonitate Georgii Curtii v. ill. inde conclusit valde mutilatum esse lexicon Ap. Soph. At delitescente magis magisque vocum Homericarum notitia imminui potuisse lexeon numerum mihi quidem non verisimile videtur.

Accedit, quod errores quidam reperiuntur in glossis istis repetitis, qui Apollonio certe non tribuendi sunt. cf. p. 8.

Atque primum quidem, ut lectionum varietatis istum grammaticum rationem habuisse probem, adscribo verborum formas, quae augmento non modo instructae, sed etiam privatae inveniuntur, quamquam eosdem spectant versus Homericos:*)

ἀρτύνετο (*B* 55, *K* 302) 42, 34 *ἠρτύνετο* 84, 31;
βιώσσαο (*ϑ* 468) 51,20 *ἐβιώσσαο* 61, 32;
πέρασας (*Φ* 78) 130, 6 *ἐπέρασας* 71, 13;
πλίσσοντο (*ζ* 318) 132, 16 *ἐπλίσσοντο* 75, 4;

Utrasque enim formas Apollonio deberi nemo putaverit. —

Eidem studio lexicon variis usibus accommodandi videtur tribuendum esse, quod *εἴρερον* 64, 13 ut peculiaris glossa nobis traditur, cuius ut variae lectionis mentio fit 92, 24 v. *ἴρερον*. —

Sed haec levia sunt. Id enim potissimum redactor videtur sibi proposuisse, ut ii, qui dubitarent de voce aliqua Homcrica, quam celerrime instituerentur. Qua de causa voces compositas cum praepositionibus non modo in forma composita, sed etiam in simplici praesto esse interdum voluit. Sic transscripsit vocem inauditam *σμυγερῶς* 143, 17 ex *ἐπισμυγερῶς* 74, 3; *σκίμψαι* 142, 21 ex *ἐνισκίμφϑη* 69, 2; *ἐμνήμυκε* 67, 18 ex *ὑπεμνήμυκεν* 159, 3. Alia sunt testimonia:

ἀμφελάχαινε 25, 31 — *λαχαίνειν* 107, 10;
ἄνεται 34, 30 — *κατάνεται* 96, 6;
ἔβλυε 61, 33 *ἔφλυε* 80, 6 — *ἀνέφλυε* 35, 14;
καίνυσϑαι 94, 8 — *ἀπεκαίνυτο* 38, 18;
τρέφεται 154, 15 — *περιτρέφεται* 130, 14.**)

Ex lemmatibus contra simplicium verborum haec fortasse nata sunt:

κατέστυγε 96, 2 ex *στυγέῃ* 145, 26;
ἀναπρῆσαι 37, 5 ex *πρῆσαι* 134, 28.

---

*) Alia est condicio glossarum *ἀγείνεον* 6, 8 et *ἠγίνεον* 82, 13 ad diversos locos Homericos *Ω* 784 et *Σ* 493 pertinentium.

**) Notandum est, quod in tribus, quae attuli, exemplis interpolator infinitivi se praebet amantem (*σκίμψαι, λαχαίνειν, καίνυσϑαι*). Idem evenit in capitibus *δειψῆσαι* 58, 3 et *δεικανάασϑαι* 57, 21, quae et ipsa interpolata esse mox demonstrabimus. Apollonius contra vocabula eadem, quae apud Homerum occurrebat, forma praefigere solebat.

Quibus addendae sunt eae lexeis, quae cum duabus contineantur vocibus, bis exstant in lexico. Sic 139, 24 *ῥῶγας τὰς θυρίδας* male translatum esse ex 30, 26 *ἀνὰ ῥῶγας μεγάροιο* inde patet, quod illic una permittitur interpretatio, cum hic inter multas eligendi optio detur. Idem dicendum de *γναμπτὰς ἕλικας* 55, 14, quod cf. cum *ἕλικας* 66, 19. Eadem est condicio capitis *ἐπίουρος* 73, 34, quod contractum esse ex *Κρήτῃ ἐπίουρον* 104, 7 fugit Lehrsium[3] p. 107. Cetera exempla sunt:

ἀνιεμένη 34, 32 — *κόλπον ἀνιεμένη* 102, 9;
ἰωγή 93, 28 — *ὑπιωγή* 160, 28;
ὀσσόμενος 123, 25 — *κακ' ὀσσόμενος* 94, 16;
πελέκκῳ 131, 3 — *ἀμφὶ πελέκκῳ* 26 20;
στεφάνη 144, 22 — *κατὰ στεφάνης* 97, 12.

Frequentissimum vero genus interpolationis ea re efficiebatur, quod ex capitibus uno tenore complures voces explicantibus singulae lexeis desumptae suo loco alphabetico inserebantur. Qua in re cum non ita raro in errores incidisset redactor, interpolationis indicia ipse ad nos detulit. Ut lemma ab Homero alienum *ἔνοσις* 68, 21 petivit ex 64, 9 v. *εἰνοσίφυλλον*, ubi *ἔνοσις* explicatur. — 58, 3 *δεψῆσαι μαλάξαι*, quae forma in Homero non legitur, descriptum est ex 9, 21 *ἀδέψητον ἀμάλακτον, οἷον ἀνέργασον . . . . . . τὸ γὰρ δεψῆσαι ἐπὶ τοῦ μαλάξαι τίθησι, καθάπερ ἐπὶ τοῦ κηροῦ „κηρὸν δεψήσας μελιηδέα.“* — Ex copioso capite *ἀντί* 31, 9 fluxerunt 33, 15 *ἀντίθεον*, quoniam hic statuitur, quod nonnullos maluisse illic narratur, et 33, 19 *ἀντιάνειραι ἐπιθετικῶς αἱ Ἀμαζόναι αἱ ἴσανδροι· πολεμικαὶ γάρ*, ubi „*πολεμικαὶ γάρ*“ librarium parum accuratum convincit, qui totum versum antecedentem isti *πολεμικαὶ γάρ*: *ἔνιοι δὲ τὰς ἀντιαζούσας, οἷον ἐναντιουμένας, ἀνδράσι* 31, 17 neglegenter omisit. — Item 57, 21 *δεικανάασθαι διαλόγου ἀξιοῦσθαι* mendose transcriptum est ex capite 43, 20 *ἀριδίκετος ὁ ἄγαν ἀσπαστός παρὰ τὸ δικανᾶσθαι, ὅ ἐστι δεξιοῦσθαι*. Scribe igitur pro *διαλόγου ἀξιοῦσθαι*: *δεξιοῦσθαι*. Istud autem *διαλόγου* delendum potius quam in *διὰ λόγου* mutandum esse putaverim propter versum O 86: „*πάντες ἀνήϊξαν καὶ δεικανόωντο δέπασσιν.*“ Parum enim verisimilis est opinio Sengebuschii v. ill. (Pape-Sengebusch „Griechisch-deutsches Handwörterbuch“ ed. III v. *δεικανάομαι*) qui Apollonium tuitum esse coniecit lectionem Zenodoteam ab Aristarcho impugnatam: „*δεικανόωντ' ἐπέεσσιν*“. Natum autem videtur esse *διαλόγου* e verbis *διὰ λόγων*, quae eadem pagina v. *δείδεκτο* 57, 8 exstant. Quod si verum est, haud scio an capita

ἀριδίκετος 43, 20 *δείδεκτο* 57, 7 *δεικανᾶσθαι* 57, 21 olim coniuncta fuerint; mirum enim, quod etiam lexis *ἀριδίκετος* duobus locis: 43, 20 et 57, 7 invenitur. — Etiam quae 77, 23 leguntur *ἐσήκασθεν κατὰ σηκοὺς ἠλάσθησαν, ἐπὶ τῶν προβάτων* manifestum produnt redactoris errorem, quoniam Θ 131, ubi lexis sedem habet, de Troianis, non de ovibus agitur. Rectum autem invenies 141, 8 v. *σηκοί . . . . ἀπὸ δὲ τῆς αὐτῆς ἐννοίας τὸ „καὶ νύ κε σήκασθεν κατὰ Ἴλιον ἠΰτ' ἄρνες“ συνεκλείσθησαν προβάτων τρόπον ὡς εἰς σηκούς*, unde ista desumpta sunt. Cetera huius interpolationis exempla satis habeo enumerasse, lemmata interpolata priore loco collocans:

ἄγριον αἶγα 5, 23 — 6, 16 v. *ἄγριον αἰχμητήν*;
ἄκνηστις 18, 30 — 101, 7 v. *κνῆστις*;
ἀμφίθετον 25, 9 — 163, 11 v. *φιάλη*;
ἀσημάντοισιν, σημάντορα 45, 13 — 141, 14 *σημάντορες ἀσημάντοισιν*
ἀσπουδεί 45, 20 — 144, 11 v. *σπουδῇ*;
ἀσφάραγον 45, 24 — 147, 29 v. *σφαραγεῦντο*;
αὐΐαχοι 47, 23 — 3, 7 v. *ἄβρομοι*;
ἄχος 49, 28 — 18, 28 v. *ἀκαχίζετο*;
βοός κέρας 52, 18 — 98, 12 v. *κέρ' ἀγλαέ*;
βριήπνος 53, 9 — 84, 25 v. *ἠπύει*;
γύαλον etc. 55, 28; 89, 14 — 103, 31 v. *κραταιγύαλοι*;
διέχευαν 58, 30 — 113, 7 v. *μίστυλλον*;
κλύειν 100, 30 — 16, 3 v. *ἄϊον*;
ἐριούνιος 76, 16 — 148, 17 v. *σῶκος*;
ἴσκεν 92, 35 — 65, 3 v. *ἐΐσκοντες*;
καταζήνασκε 96, 30 — 11, 22 v. *ἄζετο*;
κορυθαίολος 102, 31 — 15, 34 v. *αἰολλή*;
κοτυληδονόφιν 103, 22 — 87, 13 v. *θεόφιν*;
μετάσσαι 112, 6 — 135, 11 v. *πρόγονοι*;
ὀδυνήφατα 118, 28 — 114, 9 v. *μυληφάτου*;
ὀλιγοδρανέων 120, 5 — 60, 17 v. *δραίνεις*;
παρθενοπῖπα 128, 19 — 121, 30 v. *ὀπιπεύεις*;
πέλλας 129, 23 — 55, 1 v. *γλάγος*;
προΐαψεν 135, 31 — 89, 28 v. *ἰάψῃ*;
λαισήϊα πτερόεντα 106, 25*) — 136, 33 v. *πτερόεντα*;
σοῖο 143, 30 — 140, 34 v. *σέθεν*;
τετραθέλυμνον 151, 14 — 134, 24 v. *προθελύμνους*;

*) 106, 26 ante *κοῦφα* sine dubio inserendum est *ἤ*.

ὑλακόμωροι 157, 22 — 91, 24 v. ἰόμωροι;
χήτεϊ 167, 33 — 166, 28 v. χατέουσα;
ψιάδας 169, 20 — 116, 32 v. νιφάδεσσι.

Postremo autem loco tres affero glossas, quae diversis locis eisdem fere verbis traduntur, id quod socordiae interpolatorum tribuendum est:

ἀγαπήνορος 4, 4—8, 9;
δεδμήατο 57, 1—57, 18;
ἐπαλλάξαντες 70, 26—75, 17.*)

Haec fere sunt interpolationis, quae nobis deprehendere contingit, indicia. Quae quamquam permulta sunt, aliquanto plura detecturos nos fuisse certum habeo, si lexicon non decurtatum ab epitomatoribus ad nos pervenisset. Sed interpolatoris consilium atque indolem satis in conspectu posuisse mihi videor.

§ 4.

Ex eodem consilio lexici tironum usui adaptandi fluxit epitomatorum opera, qui doctas disputationes ut inutilem molem magis

---

*) De paucis glossis hoc loco verba facienda, quae, quamquam et ipsae bis inveniuntur, aliam tamen sortem videntur habuisse. Non enim a redactore insertae sunt, sed casu quodam fortuito a loco suo abscissae et remotae videntur. Sic quae leguntur 57, 6 *δειδήμονες εὐλαβεῖς, παρὰ τὸ δέος* et 57, 24 *δειδήμονες ἐλεήμονες, δειλοί* unum effecisse corpus voce *ἐλεήμονες* probatur, quae nihil valet ad *δειδήμονες* interpretandum, sed lectio Zenodotea pro *δειδήμονες* in versu *Γ* 56 fuisse nobis traditur. Liquet igitur Apollonium huius lectionis mentionem fecisse, a librario autem rem non esse perspectam. Cf. e. g. 73, 1 *ἐπιδωσόμεθα ἐπιδόσει τιμήσωμεν*, 73, 2 *ἐπιβωσόμεθα ἀντὶ τοῦ ἐπιβοησόμεθα*, ubi ex commemorata varia lectione *ἐπιβωσόμεθα* *Κ* 463 peculiare fiebat lemma. Cui rei argumento est, quod nusquam alias in serie verborum cum *ἐπὶ* compositorum receditur ab ordine alphabetico, nam 74, 7 *ἐπισσείας* pro *ἐπισεύας* legendum est. — Etiam 9, 12 *ἀδινὸν κῆρ τὸ περικάρδιον κῆρ οὕτως εἰρῆσθαι ἀδινὸν τῷ φύσει πυκνὸν εἶναι* partem olim fuisse capitis *ἀδινά* 8, 27 pro certo affirmare ausim. Quod caput et ipsum mendosum esse cum Tollius perspexisset, tamen non adhibuit medicinam idoneam. Sunt enim inter se commutandae 9, 5 et 9, 7 carminum Homericorum notae *Τ* et *Ψ* atque prius „*ἀδινὸν κῆρ*“ 9, 6 revocandum ad *τ* 516 „*πυκιναὶ δέ μοι ἀμφ' ἀδινὸν κῆρ ὀξεῖαι μελεδῶνες ὀδυρομένην ἐρέθουσιν,*“ cui loco versio „*συνεχῶς λυπούμενον*“ egregie convenit. Alteram autem explicationem vocis *ἀδινὸν κῆρ* 9, 12 haud scio an Apollonius attulerit ad interpretandum versum Π 481 „*ἀλλ' ἔβαλ' ἔνθ' ἄρα τε φρένες ἔρχαται ἀμφ' ἀδινὸν κῆρ,*“ qui certe non respuit physicam explanationem vocabuli *ἀδινόν*. Iungendae porro sunt fortasse glossae:

ἀπόπροθεν 39, 33—40, 23;
δάσονται 56, 22—56, 24;
σκέδασον 142, 20 — *σκίδναται* 142, 22.

magisque in angustum cogere atque etiam eicere studebant. Nam nihil fere nisi versionem curabat aetas indocta. Paulatim autem atque complurium, non unius hominis laboribus videtur decurtatum esse lexicon, quod omnino nusquam elucet ratio stabilis atque firma in epitomando. Sed re vera lexicon non integrum, sed ab epitomatoribus valde contractum aetatem tulisse nemo fere negavit.*) Quis enim sibi persuadeat ab Apollonio ipso redundare dissonam nostram lexici formam, ubi capita bonae frugis plena tam saepe excipiat series merarum metaphraseon? Quis Apollonium multorum *οἱ μὲν, οἱ δὲ, ἔνιοι, τινὲς**) quae alias ubique in historia grammaticorum versantibus certissima sunt manus epitomatoris indicia, auctorem esse opinetur? Nihilominus quod argumentum huius rei splendidissimum solet afferri — quod ea, quae Et. M. v. *αἰζηός* tribuit Apollonio, non reperiuntur in lexico Apoll. — infirmum est, quoniam ex alio quolibet scripto Apollonii haurire potuit Et. M. Verumtamen in lexico ipso exstat perspicuum vestigium. cf. 149, 13. *ὥσπερ ἐπὶ μὲν τοῦ „κύδιστε μέγιστε κελαινεφές“ σύνθετον ἀποδεδώκαμεν τὸ ὄνομα, ἐπὶ δὲ τοῦ „κελαινεφὲς αἷμα“ παραγωγόν.* Frustra enim quaerimus, ubinam hoc docuerit Apollonius!

Praeclarissimum autem auxilium ad genuinam lexici formam non modo suspicandam, sed interdum etiam restituendam ferunt nobis Et. M., Photius, Hesychius, scholiastae, alii, quibus lexicon integrius quam nobis praesto fuit. Atque de Et. M. diserte hoc docuit Lehrsius, cum de Hesychio dubitaret, quaestt. epp. p. 33: „Eius (sc. Apionis) *γλῶσσαι Ὁμηρικαὶ κατὰ στοιχεῖον* (Hesychius ep. ad Eulog. in.) magnam partem transierunt in Apollonii lexicon Homericum: hinc, ut verisimile est, complura transierunt in Etymologicum. Annotatio v. *ἆσαι κλειτύς, κορώνη, σκῶλος.* Haec ubi inspexeris, ad ipsa verba Apollonio respondentia, vix dubitabis s. *ὀπός, παλύνω, ὄρχατος* (*ὀρχός*), *πείρινθος, ὀπωπή, κινυρή* (cf. schol. Apoll. Rhod. I, 292) Apionis nomen ab Apollonio commemoratum fuisse et ab illo ea fluxisse. Sunt pleraque toto colore Apollonianis similia, in quibusdam etiam nunc verborum ipsorum consensus non dubius. Cf. Cram. I 292, 3 cum Apollonio („*ὁ Ἀπίων ἐτυμολογῶν*“ ut dicere solet Apollonius). Idem

*) Sic A. Ludwichius in libro, qui nuperrime publici iuris factus est: „Aristarchs Homerische Textkritik“ I. p. 75 lexicon nostrum vocat: „sehr verdünnt.“

**) Pauca quidem *ἔνιοι* etc. debentur Aristarcho cf. Ludwichius l. l. p. 126 n. 138.

dicendum de ἐρέχθων, quod nunc apud Apollonium excidit, sed profecto praetermissum non fuit." — Cui praeclaro iudicio omnino subscribendum est. Attamen Carnuthius in priore egregiarum „de Etymologici Magni fontibus" commentationum, quas quod mecum communicavit etiam hoc loco gratias ei ago quam maximas, ex Aristonico nonnulla fluxisse vult in Et. M., quae potius ex Apollonio Sophista transscripta sunt. Sic quod praebet Et. M. 579, 56 *μενεαίνω σημαίνει τρία: ἐπὶ μὲν τοῦ χολοῦσθαι „οὐδέ τί με* (codex *σε*) *χρὴ ἀσκελέως αἰεὶ μενεαινέμεν" Τ* 67 — *ἐπὶ δὲ τοῦ προθυμεῖσθαι „μενέαινε δὲ κῦδος ἀρέσθαι" Φ* 543 — *ἐπὶ δὲ τοῦ λειποψυχεῖν „κτεινόμενος μενέαινε"* Π 491 — non ex annotationibus Aristonici ad Π 491 et Τ 68 conglutinavit, sed descripsit ex Apollonio 111, 9 *μενεαίνειν ἐπὶ μὲν τοῦ χολοῦσθαι „οὐδέ τί σε* (!) *χρὴ ἀσκελέως αἰεὶ μενεαινέμεν", ἐπὶ δὲ τοῦ προθυμεῖσθαι „μενέαινε δὲ κῦδος ἀρέσθαι", ἐπὶ δὲ τοῦ λειποψυχεῖν „κτεινόμενος μενέαινεν"*, ubi vel idem vitium exstat in versu *Τ* 67 laudando, quod in Et. M. Idem statuendum de Et. M. 414, 25 et Ap. 81, 18, v. *ζωστήρ, ζῶμα.* — Hesychium autem sive Diogenianum Apollonii lexicon in suum opus recepisse procul dubio est. Neque Photius id ignorat, cum v. *μετὰ*, praemissa filii Archibii auctoritate, ad verbum locum lexici laudet. Et congruunt saepe lexicographi isti cum Apollonio. Plerumque quidem praebent minus; contra est, ubi in capitibus, quae colorem referunt omnino Apollonianum, plus exhibeant quam ille ipse. Quae res nullo modo expediri posse mihi videtur, nisi ex copiosiore atque propius ad genuinam accedente lexici Apolloniani forma hauserunt. Neque ita rem se habere quisquam mirabitur, qui Apollonio emendando paulisper operam dederit, cum ex Hesychio optimos fructus percipi ad Apollonium cum emendandum tum explendum grato animo profitendum sit. Sed argumentis res est confirmanda. Maxime quidem speciosi sunt ii loci, quibus Hesychius affert auctoritatem Apionis et Heliodori in lexico Apoll. omissam. Attamen cum de iis in diversam sententiam possit disputari, priores alios appingo locos, quibus Hesychium integriorem interdum lexici Apolloniani servasse formam persuadeam lectori:

Hesychius *ἀεκήλια ἀκούσια χαλεπά, ἃ οὐκ ἄν τις ἑκὼν πάθοι, βέλτιον δ' ἄν τις ἀποδοίη τὰ τεταραγμένα καὶ οὐκ εἰρηνικά, κατὰ στέρησιν τῆς ἡσυχίας καὶ εἰρήνης.* cf. Ap. 10, 1 *καὶ ἀεκήλια ἔργα ἃ οὐκ ἄν τις ἑκὼν πάθοι, χαλεπά· ἢ ὡς ἔνιοι, οὐχ ἑκήλια ἔργα, οὐχ ἡσύχια.* cf. Aristonicus ad *Σ* 77. —

Ap. 48, 6 *αὐτοχόωνον* *αὐτοχώνευτον*, ἢ καὶ ὡς [εἰκαίως mavult Bekkerus] κεχωνευμένον. Verba obscura illustrantur Hesychio s. v.: *αὐτοχώνευτον. ἀπ' αὐτῆς τῆς χωνείας τὸ τέλειον ἔχοντα καὶ μὴ προσδεόμενον ἄλλου τινὸς εἰς συμπλήρωσιν. ἢ αὐτόχυτον ὅλον, στερέμνιον, οὐ κοῖλον.* In Apollonio pro *καὶ ὡς* fortasse *ὅλως* legendum. —

Ap. 60, 3 *δολιχόσκιον* *ἤτοι μακρὰν σκιὰν ἔχον, ἐξ οὗ τὸ μέγα δηλοῦται.* *ἤτοι* istud indicat lacunam. Plenior Hesychius s. v.: *μακρὰν ἔχον σκιάν, μακρόσκιον, ἐξ οὗ τὸ μέγα δηλοῦται. ἢ μακρὰν ἰέναι δυνάμενον.* cf. schol (Ven. A.) *Γ* 346. —

Ap. 66, 13 *ἐλέφαντα* *τὸ ἐλεφάντινον.* Aliquid excidisse iam Villoiso perspexit. cf. Forsmanus p. 109. Hesychius contra habet s. v. *τό ἐλεφάντινον ὀστοῦν.* „*ὡς δ' ὅτε τις ἐλέφαντα γυνή*" *οἱ δὲ λευκὰ ἔρια* etc. cf. Aristonicus ad *Δ* 141. —

Ap. 78, 8 *ἑταῖροι* *φίλοι* mancum esse procul dubio erit, si leges in Hesychio s. v.: *φίλοι* „*κακά περ πάσχοντες ἑταῖροι*" *καὶ συνεργοὶ ναῦται.* cf. Ap. Soph. 78, 10 v. *ἑταιρίσσαι.* Lehrsius[3] 116. —

Plura exempla rei liquidae supersedeo coacervare. Nam pronum iam lectorem esse spero, ut mecum faciat in ambiguis illis locis diiudicandis. Aggrediamur igitur ad ea, quae M. Schmidtius v. ill. de Hesychio docuit: Quaestiones Hesychianae p. CXV an.: „Apionem laudat s. v. *ἄδις. αἰσυητῆρι. θαλαμηπόλος. ἰονθάδος. κήξ. μηκάδες. Μηονεῖ. μήνιμα. οὐδενόσωρα. πόποι. φοινήεντα. χαμαιευνάδες* et nisi scriptura fallit (nam Platonis meminisse videtur) s. v. *ἀγυρτούς*; Helidorum s. v. *ἀδευκεῖ. ἄμφουδις. ἀμενήνωσεν. ἀναγωγή. ἀνακτορίῃσι. ἀνάπτυστα.* His vero locis non scholia intelegenda sunt, sed auctoritas putanda ab Apollonio Sophista esse apposita. Similiter Aristonici mentio s. v. *ἀκοστήσας* et Comani s. v. *αἰνίζομαι, ἀλίπλοα,* Cratetis s. v. *ἐνώπια* et *ἡμεροῦν* et Aristarchi s. v. *ἀντιάνειραι* al. Apollonio debetur." Quae exempla si licet percensere, tredecim*) locis Apio laudatur ab Hesychio, quorum duo nullo numero putandi sunt: *ἄδις* cum depravatum sit et *ἀγυρτούς*. Sex autem locis (*αἱμασιαί***) *αἰσυητῆρι ἰονθάδος κήξ μήνιμα χαμαιευνάδες*) Hesychius atque Apollonius concinunt in Apione citando, ubi tamen Hesychium

---

*) Pro *Μηονεῖ*, quod et ipse frustra quaesivi, Hugo Weberus Phil. suppl. III p. 581 an. 183 inseruit *αἱμασιαί*.

**) *αἱμασιαί* a Weber l. l. immerito alteri classi adscriptum est.

ex Apollonio, non ex Apione ipso hausisse inde potest intellegi quod vel aliis in rebus atque in Apionis versionibus ibidem convenit cum Apollonio cf. Ap. 17, 30 *αἱμασιάς. ἡ μὲν λέξις ἐν Ὀδυσσείᾳ· ποτὲ μὲν γάρ φησιν „αἱμασιάς τε λέγων καὶ δένδρεα μακρὰ φυτεύων“ ὁτὲ δὲ „αἱμασιὰς λέγοντες ἀλωῆς ἔμμεναι ἕρκος.“ ἔστι δὲ τὸ ἐκ τῶν λίθων περιτείχισμα ὁ δὲ Ἀπίων* etc. cum Hesychio: *αἱμασιά τὸ ἐκ πολλῶν λίθων λογάδων ἄθροισμα. Ἀππίων* etc. — Porro cf. Ap. 167, 6 *χαμαιευνάδες ἐπιθετικῶς αἱ σύες ἀπὸ τοῦ παρακολουθοῦντος, αἱ χαμαὶ εὐναζόμεναι. πολλὰ γὰρ τῶν ἄλλων τετραπόδων τὸ πλεῖον ἵσταται. ὁ δὲ Ἀπίων* etc. cum Hes. s. v. *οἱ σύες ἀπὸ τοῦ παρακολουθοῦντος αὐτοῖς, πολλὰ γὰρ τῶν ἄλλων τετραπόδων ὀρθὰ κοιμᾶται καὶ ἑστῶτα. Ἀπίων δὲ* etc. Quae cum ita sint, equidem non habeo, ex quo fonte Hesychius quinque reliqua capita (*θαλαμηπόλος, μηκάδες, οὐδενόσωρα, πόποι, φοινήεντα*) sumpserit nisi ex pleniore Apolloniani lexici forma. Neque dubito, quin Heliodori eadem sit condicio, quamvis semel v. *ἀνάπυστα* et ab Apollonio et ab Hesychio laudetur. — Depravata etiam atque decurtata sunt ea Apollonii capita, Aristarchi nomen quae omittunt, cum ab Hesychio in capitibus voces Homericas explicantibus laudetur.

cf. Ap. 26, 20 *ἀμφὶ πελέκκῳ. τὸν στειλειὸν λέγει τῆς ἀξίνης πέλεκκον. ἀπὸ τοῦ πελέκεως πέλεκκον. „καλὴν (ἀξίνην εὔχαλκον) ἐλαΐνῳ ἀμφὶ πελέκκῳ.“* cum Hesychio s. v.: *πελέκιον δίστομον Κυρηναῖοι. ὁ δὲ Ἀρίσταρχος τὸν τῆς ἀξίνης στελεὸν ἀπέδωκεν.*

Ap. 77, 32 *ἕστορι τὸν πρὸ τοῦ κρίκου τοῦ ῥυμοῦ τόπον* cf. cum Hesychio v. *ἕστορα τὸ κοίλωμα τοῦ ἁμαρτίου, ἤτοι ζυγοῦ, ἔνθα ὁ τράχηλος τῶν ἵππων ἐντίθεται, ἢ τὸν πρὸ τοῦ κρίκου τοῦ ῥυμοῦ (τόπον). οἱ δὲ κατὰ Ἀρίσταρχον τὸν πάσσαλον τὸν πεπηγότα περὶ ἄκρον τῶν ῥυμῶν, περὶ ὃν δεσμεῖται καὶ εἰλεῖται τὸ ζυγόδεσμα.* — Cetera sunt exempla: *ἀσφόδελον* (?) *δίψιον. πάλιν.* —


Photii autem capita, quae repraesentant Apionis et Heliodori nomina, sunt haec: *σπιλάδες· αἱ ἐν ὕδατι κοῖλαι πέτραι, ὡς Ἀπίων· Ἡλιόδωρος δὲ τὰς παραθαλασσίας πέτρας καὶ ἐπειλημμένας ὑπὸ τῶν κυμάτων.* cf. cum Ap. s. v. p. 144, 7: *ὁ μὲν Ἀπίων αἱ ἐν ὕδατι κοῖλαι πέτραι, ὁ δὲ Ἡλιόδωρος αἱ παραθαλάσσιοι πέτραι καὶ ἐπειλημμέναι* (codex: *πεπιλημέναι*) *ὑπὸ τῶν κυμάτων.*

Phot. *τρίγληνα· ὁ μὲν Ἡλιόδωρος τρίκορα· γλήνη γὰρ ἡ τοῦ ὀφθαλμοῦ κόρη. ὁ δὲ Ἀπίων πολύγληνα, τὰ θεᾶς ἄξια.* cf. cum Ap. s. v. 154, 24: *ὁ μὲν Ἡλιόδωρος τρίκορα εἶπε· γλήνη γὰρ ἡ κόρη τοῦ ὀφθαλμοῦ . . . . . . ὁ δὲ Ἀπίων βέλτιον πολύγλνα· γλήνη γὰρ ἡ κόρη, ὥστε εἶναι πολυθέατα, πολλῆς θέας ἄξια* etc.

Quibus comparatis caput hoc Photii *σφάραγον· ὁ Ἀπίων φάρυγγα, ἀπὸ τοῦ περὶ αὐτοῦ γενομένου ψόφου*, facile concedes ex Apollonio 147, 28 *σφαραγεῦντο ὁ μὲν Ἀπίων ἐψόφουν, ὁ δὲ Ἡλιόδωρος βέλτιον κατεπονοῦντο. καὶ τὸ „οὐδ' ἄρ ἀποσφάραγον μελίη τάμε χαλκοβάρεια" ἐν συναλοιφῇ εἴρηται ἀσφάραγον, οὐ σφάραγον. καὶ ἔστιν ἀσφάραγος φάρυγξ, δι' οὗ τὸ φωνητικὸν ἀνέρχεται. ἐπιφέρει οὖν „ὄφρα τί μιν προτιείποι ἀμειβόμενος"* fluxisse, ubi lectionem *σφάραγον* Apioni probatam fuisse certe olim traditum erat. Neque est, cur Photium e copiosiore lexici Apolloniani forma descripsisse negem ea, quae praebet v. *ἀάπτους οἱ μὲν δασύνοντες τὸ δεύτερον α, ἀκούουσιν ἀπροσπελάστους, ὧν οὐκ ἄν τις ἅψαιτο. οἱ δὲ ψιλοῦντες, ἀπτοήτους. οἱ δὲ τὰς ἀνεκφεύκτους καὶ χαλεπάς. Ἀπίων δὲ δασύνει· βούλεται γὰρ ἀποδιδόναι, ὧν οὐκ ἄν τις ἅψαιτο, ἢ τὰς πολλοῖς προσπελαζούσας* praesertim cum locum Apollonianum *ἀάπτους* 1, 20 vel aliis de causis mancum esse pateat, cf. Lehrsius[3] p. 141 et 301. —

Feci igitur cum M. Schmidtio, qui cum Hesychium Apionis auctoritatem ex Ap. Soph. lexico sumpsisse recte statuisset, de viis, quas Lehrsius apertas nobis esse putavit, alterutram ingressus est. cf. Lehrsius quaestt. epp. p. 33 sq.: „Permulta (sc. ex Apionis lexico Homerico) inesse in Hesychio et epistola et consensus cum glossis Apionis apud Apollonium servatis ostendit: nomen Apionis nunc raro relictum: utrum in Hesychium et ipso ex Apollonio venerint an vel ipse vel Diogenianus ipsas Apionis glossas inspexerit dubitari potest." Alteram autem ut monstaret viam Lehrsius his duobus epistolae Hesychianae locis adductus esse videtur: *Πολλοὶ μὲν καὶ ἄλλοι τῶν παλαιῶν τὰς κατὰ στοιχεῖον συντεθείκασι λέξεις . . . . . . ἀλλ' οἱ μὲν τὰς Ὁμηρικὰς μόνας, ὡς Ἀππίων καὶ Ἀπολλώνιος ὁ τοῦ Ἀρχιβίου. Διογενιανὸς δέ τις μετὰ τούτοις γεγονὼς . . . . . . τά τε προειρημένα βιβλία καὶ πάσας τὰς σποράδην παρὰ πᾶσι κειμένας λέξεις συναγαγών, ὁμοῦ πάσας καθ' ἕκαστον στοιχεῖον συντέθεικε.* atque: *Οὐ γὰρ ὀκνήσω μετὰ παῤῥησίας εἰπεῖν, ὅτι τῶν Ἀριστάρχου καὶ Ἀππίωνος καὶ Ἡλιοδώρου λέξεων εὐπορήσας, καὶ τὰ βιβλία προ(σ)θεὶς Διογενιανοῦ . . . . αὐτὸς ἰδίᾳ χειρὶ γράφων ἐγὼ μετὰ πάσης ὀρθότητος καὶ ἀκριβεστάτης γραφῆς, λέξιν μὲν οὐδεμίαν παρέλιπον κειμένην ἐν αὐτοῖς, ἀλλὰ καὶ πλείστας οὐχ εὑρὼν προστέθεικα.* Quae si ad verbum accipi oportet, incertus sum, utrum magis admirer ferream Apionis valetudinem, qui identidem excerptus nihilominus multa perduraverit saecula, an lexicographorum assiduitatem at-

que stultitiam, qui stolidas Apionis lexeis, quamquam iampridem inerant in operibus adhibitis, denuo semper inserere non gravati sint. Ecce stemma:



Credat hoc quisquis vult! Equidem contra ne mendacium quidem exprobrare mihi videor Diogeniano, si eum Apionis lexeis non nisi ex Apollonio Sophista novisse affirmo. Etenim ea est vis istius *καὶ*: *ἀλλ' οἱ μὲν τὰς Ὁμηρικὰς μόνας, ὡς Ἀππίων καὶ Ἀπολλώνιος ὁ τοῦ Ἀρχιβίου* ut Apollonius lexicon condidisse Apionis opus in suum transscribens narretur. De quo loquendi usu apud grammaticos veteres confer quae acute disputavit Naberus Phot. Proll. p. 10 sq. — De altero autem epistolae loco, ubi Hesychius de suo labore verba facit, cum saepe disceptaverint viri docti, non moror eorum controversias; verum non absurdum videtur suspicari lexeis, quas se ipsum operi Diogeniani addidisse Hesychius narrat, iniuria prae se tulisse Apionis nomen, quod quoties ad opera quaelibet inscribenda conversum sit satis constat. Vides igitur quam nullam habeat vim epistola Hesychiana ad opinionem nostram refellendam!

Sed qua tandem causa viri docti commoti sunt, ut incredibilia fere credere mallent, quam concedere Hesychium e copiosiore Apollonii forma hausisse? „Quod *) Apollonius et Hesychius saepe accuratius conveniunt et utuntur verbis prorsus eisdem." Sic Naberus Phot. Proll. p. 118. Facile quidem opponat quispiam nihil demonstrari hoc argumento nisi non ubique lexicon decurtatum esse. Sed tamen cum in breviori-

*) Forsmanus p. 109 eodem utitur futili argumento.

bus potissimum glossis concinant Apollonius et Hesychius, quas integras esse maxime dubitandum, aliter res explicanda. Hesychium enim (sive Diogenianum) et ipsum admodum contraxisse lexicon Apollonianum quoniam luce est clarius, nihil obstat, quominus breves istas glossas e copiosioribus genuini lexici Apolloniani glossis excerptas esse putemus hinc ab Hesychio, illinc a redactore servatae lex. Ap. formae. Qua in re quid mirum, quod eisdem Hesychius et epitomator Apollonii utuntur verbis? Paraphrases enim excerpsit uterque!

Quam igitur opinionem nulla causa cogimur amplecti, ea ne idonea quidem videtur omnibus nodis solvendis. Neque enim perspicuum est, cur Etymologici Magni conditori licuerit integriore lexici Apolloniani forma uti, Hesychio non licuerit, neque patet, quomodo factum sit, ut vel nonnullis in capitibus Apollonium redolentibus, quae Apionem non commemorant, Hesychius copiosior esset quam Apollonius, id quod p. 12 sq. demonstravimus.

Hanc quidem unam difficultatem evitat Naberus Phot. Proll. p. 118, cum novum quendam sibi finxerit fontem communem. Statuit enim vir doctus hausisse tam Apollonium Sophistam, quam Hesychium et Photium ex epitome operis cuiusdam conflati e duobus commentariis Apionis et Heliodori. „Quia utriusque operis" ait l. l. p. 119 „similis erat ratio, nescio quis e duobus commentariis excerpendo et coniungendo fecit unum." Verum enimvero similem fuisse rationem operum Apionis et Heliodori tantum abest, ut credam Nabero, ut omnino dissimilem fuisse habeam persuasum. Undecies Apio et Heliodorus coniuncti laudantur — verum ubique dissentiunt inter se! Conferendus La Rochius „Homerische Textkritik" p. 169 an. 234. Ut Apio vaniloquus et ventosus, ita Heliodorus egregie imbutus Aristarchea doctrina! Quem suo iure bonum et ab ipsius Aristarchi aetate, ut videtur, non ita longe remotum grammaticum Ritschelius v. ill. op. I. p. 221 vocat. E. g. 12, 22 v. *ἀθεμίστων* inducitur Heliodorus ***Ἀρισταρχείως μεταφράζων.*** Quin etiam forma operum ab iis confectorum videtur diversa fuisse! Lexicon enim Homericum Apionem composuisse non modo in epistola Hesychiana traditur, sed etiam elucet ex his Apollonii locis: 102, 3 v. *κολώνη* (sic legendum pro ***κολωνός***) . . . ***ὁ δὲ Ἀπίων παρεὶς τὸ σημαινόμενον, προθεὶς δὲ τὸ Κολώνη, πόλις Τρωϊκή.*** — 17, 15 v. *αἴητον . . . ὁ Ἀπίων προθεὶς τὴν λέξιν.* Heliodori contra non lexico, sed commentariis usum esse Apollonium praeclare conicit La Rochius l. l., qui haec affert testimonia:

43, 29 v. *ἅρπυιαι: ὁ Ἡλιόδωρος ἐν τῇ Υ* (cod. Σ) *Ὀδυσσείας.*

136, 17 v. *πρότυψαν*: *ἐν τῇ Ω τῆς Ὀδυσσείας ὁ Ἡλιόδωρος.* 150, 20 v. *τάρπησαν*: *Ἡλιόδωρος ἐν τῇ Γ ῥαψωδίᾳ Ὀδυσσείας.**)

Prorsus autem nulla manebit dubitatio, si mihi concedes 73, 5 v. *ἐπιειμένε . . ἐπὶ δὲ τῆς Ι Ὀδυσσείας „μεγάλην ἐπιειμένος ἀλκήν" Ἡλιόδωρος ἀποδίδωσι πεποιημένον* idem esse atque *ἐπὶ στίχον ἐν τῇ Ι Ὀδυσσείας γενόμενος* id est, ut M. Schmidtii Philol. VIII p. 248 utar verbis „als er in seinem fortlaufenden Commentar bis zur Erklärung dieser Stelle des Buchs gediehen war" cf. Lehrsius[3] p. 5. Augustus Blau „de Aristarchi discipulis" p. 55 an. 2. Formulam enim *ἐπὶ τῆς ῥαψωδίας* praeter locum laudatum bis repperi in lexico 9, 4 v. *ἀδινά* et 94, 30 v. *καλάμην*, quibus comparatis spero sententiam meam non carituram esse veritatis specie. — Neminem igitur animum potuisse inducere, ut conglutinaret opera tam diversae indolis, verisimile videtur.

Quae cum ita sint, expellenda tandem umbra Apionis et Heliodori consociatorum, quae tot viros doctos**) in errores illiciebat. —

Cum nulla iam supersit opinio, qua, quomodo Hesychius et Photius plura Apolloniana interdum exhibere potuerint quam Apollonius ipse, illustretur, maneat eos ex integriore lexici Apolloniani forma hausisse.

Utinam Diogenianus totum Apollonii opus in suum lexicon transcripsisset vel Hesychius intactus esset epitomatoribus! Sed etiamnunc e misera Hesychii forma non modo multa possumus depromere ad Apollonii lexicon explendum, sed etiam conicere inde licet, quousque progressi sint epitomatores in Apollonio excerpendo. Hesychius enim, qui parcissimus est in testibus allegandis, cum saepe pro locorum numero e copiosiore Apollonii forma servaverit auctorum nomina, quae in lexico Ap. evanuerunt cf. p. 13 sq., immensam sequitur fuisse epitomatorum Apollonii saevitiam. Exiguis vero reliquuis fruimur aedificii olim splendidissimi!

---

*) Mirum quod omnibus locis Odysseae commentarii citantur. Quamquam etiam in Iliade explicanda Heliodorum versatum esse probatur e. g. 29, 9 v. *ἄμμορον*, tamen re vera Odysseam magis videtur respexisse. Atque etiam Aristarchi ad Odysseam potissimum commentarii laudantur; videsis testimonia p. 22 sq. Unde fortasse sequitur, ut pluribus commentariis ad Odysseam quam ad Iliadem usus sit Ap. Incertus sum, an ea sit causa, quod Odysseae libros quadraginta quattuor locis affert, Iliadis undecim.

**) Inter quos etiam F. Ritschelium cf. op. I, 117, sed cave praetereas annotationem p. 119.

Pauca postremo dicenda sunt de scholiis. In quae non pauca videntur ex Apollonio immigrasse — et ex copiosiore quidem. cf. v. c. 103, 10 *κουρίξ τῶν ἅπαξ εἰρημένων, ἐν τῇ μνηστηροφονίᾳ. σημαίνει δὲ τὸ τῆς κόρης λαβέσθαι. ἔνιοι δὲ κουρικῶς, οἷον νεανικῶς* cum scholio χ 188 *ὁ μὲν Ἀρίσταρχος τῆς κόμης ἐπιλαβόμενοι. ὁ δὲ Κράτης, κουρὶξ τὸ νεανικῶς.* Disputaverunt de hac re Lehrsius[3] p. 31 et Forsmanus p. 126 sqq. — peculiari tamen commentatione videtur opus esse. —

Jam ad finem adductum est caput primum, quo non modo quantopere lexici forma distaret a genuina satis multis argumentis demonstrasse mihi videor, sed etiam quae pericula evitanda atque quae praesidia adhibenda essent in quaestionibus de Apollonio recte instituendis. —

CAPUT SECUNDUM.

De fontibus lexici.

In primo auctorum agmine, ex quibus hauserit Apollonius Sophista, nominandus est Aristarchus, cuius commentarii, cum continerent omnium fere Homericorum vocabulorum paraphrases, lexicographo opimam messem reddiderunt cf. Lehrsius[3] p. 153. Quod verum esse quamvis satis probabile sit, tamen unum mihi liceat adscribere locum, quo Apollonium incuriose quaedam ex perpetua Aristarchi interpretatione delibasse discimus: 22, 28 *ἀλίτην τὸν εἰς αὐτὸν ἀλίτοντα, τουτέστιν ἁμαρτάνοντα.* Locus est *Γ* 27:

ὥς ἐχάρη Μενέλαος Ἀλέξανδρον θεοειδέα
ὀφθαλμοῖσιν ἰδών· φάτο γὰρ τίσεσθαι ἀλείτην etc.

Ridiculo enim errore captus non vidit *εἰς αὐτὸν*, quod legerat in paraphrasi, ad Menelaum esse revocandum.

Oritur autem quaestio, utrum ipse excerpserit Apollonius lexeis istas e commentariis Aristarcheis, an transcripserit collectionem quandam ab alio iam confectam, id quod statuit Forsmanus p. 99 sqq. Quod potuisse quidem fieri cum concedamus, factum esse argumentis vir doctus parum videtur confirmasse.

Perverse enim affert scholion B 435: *οὕτως αἱ Ἀριστάρχου λέξεις ἐκ τοῦ Β τῆς Ἰλιάδος· δηθά πολὺν χρόνον, αὖθι αὐτοῦ, λεγώμεθα συναθροιζώμεθα. ὁ δὲ λόγος τοιοῦτος· μηκέτι νῦν ἐπὶ πολὺν χρόνον αὐτοῦ συνηθροισμένοι μένωμεν*, ut etiam Didymum, qui scholii auctor est, istius lexeon synagoges notitiam habuisse ostendat. Nam verba *ἐκ τοῦ Β τῆς Ἰλιάδος* nihil nisi commentarios Aristarcheos significare possunt; cf. Ludwichius Ar. H. T. ad hunc locum. Neque cuiquam multum profuturum fuisse putaverim lexicon secundum

ordinem carminum Homericorum dispositum! Sed audiamus, quibus argumentis vir doctus opinionem suam tueatur. Postquam p. 102 e. g. inspicere nos iussit glossas *αἰναρέτης, ἀνέσαιμι, ἀνιεμένη, ἀπίης, ἀστεμφές, γέγωνε, ἔθοντες, ἤλασαν, κυνάμυια, μέλλετε, οὖλιος, τρίλλιστος, φαλός* pergit: „in his post caput glossae mox sequitur glossa vel paraphrasis, speciem prae se ferens totius cuiusdam per se finiti absolutique; tum nullo nexu causali vel sensus aliae sententiae excipiunt, ita ut confinium valde manifestum et certum glossam ab insequentibus dirimat, quae aut ipsi lexicographo originem debent, aut e commentariis oriunda sunt.“ At evolvi locos laudatos, fissurae hiantis ne hilum quidem repperi. Neque mirandum mihi videtur versionem auctori probatam primum capitis obtinere locum.

Nec magis probo aliam quandam opinionem, quam de lexici fontibus Forsmanus ille sibi finxit. Qui admiratus multa *οἱ μέν, οἱ δέ, ἔνιοι, τινές* quae leguntur in lexico, cum ea repperisset in scholiis praesertim ad Odysseam, praepropere sibi persuasit p. 16, 52, 122 Apollonium usum esse scholiorum quodam corpore, quo auctorum nominibus omissis brevi conspectu continuabantur variae grammaticorum interpretationes. Sed qua re effectum esset, ut auctorum nomina tam saepe omitterentur, supra p. 11. meliorem videor mihi detexisse causam. Quin etiam scholiastas ab Apollonio nonnulla repetivisse verisimile nobis fiebat. Sic in capite *πλωτῇ* 132, 18, quod antestari non debuit vir doctus p. 43, Apollonius exhibet nomen Cratetis, cum in scholio *ἔνιοι* legatur. Apoll. Soph. *πλωτῇ λέγει μὲν ἐπὶ τῆς Αἰόλου νήσου, ὁ μέντοι Κράτης ἀκούει πλεομένῃ, ὁ δὲ Ἀρίσταρχος κινουμένῃ καὶ πλεούσῃ* cf. cum scholio *κ* 3, *ἔνιοι μὲν τὴν ἐμπλεομένην, οἷον τὴν ἐν πλεομένοις τόποις κειμένην νῆσον, ἢ ἐπιθετικῶς λέγει τὴν Αἰολίαν. ὁ δὲ Ἀρίσταρχος πλωτῇ ἀντὶ τοῦ φορητῇ, οἷον περιφερομένῃ* etc. Quae cum ita sint, non arridet mihi scholiorum corpus Forsmani.

Neque facio cum Friedlaendero, qui nonnullis locis libri „Aristonici *περὶ σημείων Ἰλιάδος* reliquiae emendatiores“ (e. g. ad I 537) Apollonium hausisse ex Aristonico autumat. Exstant quidem in lexico vestigia, quibus Apollonius Aristonicum non ignorasse convincitur. Sic Hesychius v. *ἀκοστήσας* sine dubio ex Apollonio servavit nomen Aristonici: *κριθιάσας, ἀδδηφαγήσας, κατὰ τοὺς γλωσσογράφους, ἀπὸ τοῦ ἄκος λαμβάνειν. τίθησι δὲ τὸ ἄκος ἐπὶ τῆς ἀποπαύσεως τοῦ τε λιμοῦ καὶ τῆς δίψης „πίον τ' ἀκέοντό τε δίψαν“ X* 2. *ὁ δὲ Ἀριστόνικος ἐν ἄχει (στάσεως) γενόμενος, διὸ ἐπιφέρει „δεσμὸν ἀπορρήξας θείῃ πεδίοιο κροαίνων Z* 507, *ὃ καὶ βέλτιον*

εἴρηται. τινὲς δὲ ἅδην πληρωθείς cf. Ap. 20, 14 ἀκοστήσας οἱ μὲν κριθιάσας· ἀκοστὰς γὰρ τὰς κριθὰς λέγουσιν, ὅπερ ἐξ Ὁμήρου (οὐ) δυνήσονται (παραστῆσαι supplevit Villoiso). οἱ δὲ ὅτι † στάσεως ἐπιζητήσας, διόπερ εἶπεν „δεσμὸν ἀπορρήξας“ ὃ καὶ βέλτιον. cf. M. Schmidtius, Quaestt. Hes. p. CXV an. Neque minus fluxit ex Apollonio Aristonici auctoritas apud Orionem 119, 26 v. Ὀπή. τόπος τετρημένος. ἀφ' οὗ τις δύναται ὀπήσασθαι καὶ περιβλέψασθαι, οὕτως Ἀριστόνικος ἐν τοῖς Σημείοις τοῦ ποιητοῦ. cf. Ap. 36, 30 ἀνόπαια, quod caput mutilum esse patet: ἔνιοι μὲν ὄνομα ὀρνέου· καὶ γὰρ ἐν ἄλλοις „φήνῃ εἰδομένη“. ἔνιοι δὲ ἀνοπαίως, ὅ ἐστιν ἀοράτως. τινὲς δὲ ἀνὰ τὴν ὀπήν, τὴν θυρίδα· „ὄρνις δ' ὡς ἀνόπαια διέπτατο“. De qua re videsis praeter Lehrsium[3] p. 3 Carnuthium „Aristonici περὶ σημείων Ὀδυσσείας reliquiae emendatiores“ ad α 320, qui Aristonici explicationem in commentariis potius quam in libro περὶ σημείων locum habuisse egregie conicit. Et alia pauca! Sed Aristonici operibus περὶ σημείων Ap. usum esse vel ideo non putaverim, quod haud ita raro melius se imbutum praestat doctrina Aristarchea quam ille. Sic rectissime narrat Apollonius in capite mendoso 98, 11 v. κέρ' ἀγλαέ Aristarchum ut βοὸς κέρας (cf. Aristonicus ad Ω 81) ita κέρ' ἀγλαὲ κυρίως, id est proprie, accepisse, cum notaret glossographos ταῖς θριξὶν ἀγαλλόμενε interpretantes. Contra commemorat Aristonicus ad Λ 385 Aristarchum οὐ τῇ τριχὶ ψιλῶς, ἀλλ' ἐμπλοκῆς τι γένος intellexisse. Quod si verum esset, certe non diplam posuisset in glossographos eandem fere explicationem adhibentes, quorum Aristonicus cum omiserit mentionem, e peioribus fontibus hausisse putandus est. Forsmanus p. 37 rem non perspexit. Aliud testimonium vide p. 28. cf. Lehrsium[3] p. 152 περὶ στένεται, p. 84 φράζω. Accedit, quod Apollonium eisdem, non similibus, ut solet, verbis usurum fuisse atque Aristonicum ex grammaticorum more verisimile fit, si ex eo sua descripsisset. cf. e. g. scholion Aristonici supra laudatum I 537: τὸ μὲν γὰρ ἐλάθετο, ἑκὼν παρέπεμψεν, τὸ δὲ οὐκ ἐνόησεν, οὐδὲ τὴν ἀρχὴν κατὰ νοῦν ἔσχεν cum Ap. 106, 21: ἤτοι ἑκὼν θῦσαι παρεπέμψατο τῇ Ἀρτεμίδι, ἢ ὅλως ἐπὶ νοῦν οὐκ ἦλθεν.

Pleraque igitur, quae Aristarchea reperiuntur, ex Aristarchi commentariis ipsis fluxisse persuasum habeo cf. 61, 1 v. δυσηλεγέος ἐν τῇ Χ τῆς Ὀδυσσείας ὁ Ἀρίσταρχος. 67, 28 v. ἐμπλήγδην ἐν δὲ τῷ Υ τῆς Ὀδυσσείας ὑπομνήματι ὁ Ἀρίσταρχος. 91, 32 v. ἰονθάδος διὰ δὲ τοῦ Ἀριστάρχου ὑπομνήματος. 74, 11 v. ἐπιστά-

μενος ἐπὶ στίχου ἐν τῇ Ξ Ὀδυσσείας Ἀρίσταρχος. Contra aliis se grammaticis ea, quae de Aristarcho commemorat, debere nusquam profitetur, cum, si auctores habuisset, eos certe ad partes vocavisset vir tam accuratae atque religiosae scientiae; interdum tamen Ap. Aristarchea ex aliorum operibus descripsisse non omnino negaverim. Quamvis igitur satis multis atque bonis Aristarchi commentariis instructum fuisse Apollonium ex toto libro eluceat, tamen omnia illius scripta, quae in dies magis delitescebant, ei praesto fuisse cave opineris. Sic et ipse in errore versatur de Aristarchea versus *B* 111 interpretatione cf. 110, 11 v. *μέγα* cum scholio Didymi. Atque maiorem fortasse ei fuisse commentariorum ad Odysseam copiam supra suspicati sumus pag. 18 an.

Reliquos autem ad fontes quod attinet, cum de Apione*) et Heliodoro verba iam fecerimus cap. I extr., relego lectorem ad Forsmanum p. 19 sqq. — 81, 25 v. *ζῶστρα* pro *Ζηνόδωρος* intellegendum esse *Ἡλιόδωρος* Düntzerus Zenod. p. 27 n. 8 recte vidit.

Si ad auctores transgredi licet, quorum nulla exstat in lexico mentio, Didymi nullam habuisse notitiam Ap. recte coniecerunt viri docti. cf. Forsmanus p. 5, Ludwichius l. l. p. 70 sqq.

Contra Ptolemaeum Ascalonitam novit non modo, sed interdum etiam probat. cf. Forsmanus p. 22. Haec habeo testimonia: 24, 4 *ἀλκὶ ἀλκῇ „ἀλκὶ πεποιθώς" ἀπὸ ὀρθῆς τῆς ἄλξ. ὡς σάρξ σαρκί, ἀλκί* cf. schol. (Ven. A.) *E* 299 *ἀλκὶ ὡς σαρκί, καὶ ἔστι κατὰ μεταπλασμὸν ἀπὸ τοῦ ἀλκῇ . . . . . . εἴτε ἀπ' εὐθείας τῆς ἄλξ πεποίηται, ὡς οἴεται ὁ Ἀσκαλωνίτης,* vide infra p. 29. — 104, 7 *Κρήτῃ ἐπίουρον . . . . οἱ δὲ περισσὴν φασιν εἶναι τὴν ἐπί, ὡς καὶ „βοῶν ἐπιβουκόλος ἀνήρ".* cf. schol. (Ven. A.) *N* 450 *ὁ δὲ Ἀσκαλωνίτης παρέλκειν ἡγεῖται τὴν ἐπί· διὸ καὶ τὸν τόνον φυλάσσει τῆς προθέσεως, ὁμοίως τῷ „βοῶν ἐπιβουκόλος ἀνήρ".* cf. Augustus Blau „De Aristarchi discipulis" p. 32 an. 4. — 123, 10 *ὄρπηκας κλάδους παρὰ τὸ ὀρούειν* cf. cum schol. (Ven. A.) *Φ* 37 *ὁ Ἀσκαλωνίτης ἐνθάδε γενόμενος ἀξιοῖ ψιλοῦσθαι τοὺς ὄρπηκας, ἐπεί, φησί, παρὰ τὸ ὀρούειν ἐγένετο, ἐπιλαθόμενος ἑαυτοῦ.* — 130, 12. *περκνόν μελανόν. καὶ περκάζειν ἔτι λέγομεν τὴν σταφυλὴν τὴν ἤδη μελαινομένην* cf. cum schol. (Ven. A.) *Ω* 316 . . . . *τὸ μέντοι περκνός ὀξύνεται ὁμοίως τῷ πυκνός. οὕτως καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης,*

*) Suidam errare Apionem discipulum Apollonii fuisse narrantem superfluum iam videtur denuo monere.

μεταλαμβάνων εἰς τὸν μέλανα. — 136, 10 *προαλεῖ τῷ καταφερεῖ καὶ προαλίζοντι τὸ ὕδωρ.* cf. cum schol. (Ven. A.) *Φ* 262 . . . . *ἄμεινον δὲ ψιλοῦν, ὡς καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης, φάσκων ἀπὸ τοῦ ἀλίζεσθαι γεγενῆσθαι, τουτέστιν ἀθροίζεσθαι, ὥστε σημαίνεσθαι τὸ κατωφερῆ.*

Qui consensus non pro nihilo putandus est. Ascalonitam enim inter primores Aristarchi discipulos fuisse constat, quamquam non ubique recantat eius dictata. Analogiae autem studio valde erat addictus cf. Augustus Blau, qui l. l. p. 25—37 imaginem doctrinae grammatici adumbravit. —

Philoxeni, qui primus docuit verba duabus litteris constantia radices esse omnium vocabulorum (cf. Kleist „de Philoxeni gr. Al. studiis etymologicis" p. 43) vestigium exstat 96, 26 v. *κατηφόνες* . . . . *παρὰ τὸ φῶ, οὗ παραγωγὸν φάω.* cf. Orio 160, 23. —

Ex Apollonio autem Dyscolo haec fortasse manaverunt:

160, 1 *ὑποκρίναιτο. ἀποκρίναιτο. „ὧδέ χ' ὑποκρίναιτο θεοπρόπος" Μ* 228 *καὶ πάλιν „σοὶ δ' ὧδε μνηστῆρες ὑποκρίνονται". β* 111. (*ἔνθεν καὶ ὑποκριταί, οἱ ἀποκρινόμενοι πρὸς τὸν χορόν*)*) *πρωταγωνιστοῦντος γὰρ τοῦ χοροῦ τὸ παλαιὸν οὗτοι ὥσπερ ἀποκριταὶ ἦσαν, ἀποκρινόμενοι πρὸς τὸν χορόν.* cf. cum Orione 158, 3: *Ὑποκριτής. ἤτοι ἡ ὑπὸ κεῖται ἀντὶ τῆς ἀπό, οἷον ἀποκριτής, τὸ γὰρ „ὑποκρίνονται, ἵν' εἰδῇς" β* 111 *ἀντὶ τοῦ ἀποκρίνονται. οὕτως Ἀπολλώνιος ἐν τῷ περὶ Προθέσεως.* cf. Lehrsius, quaestt. epp. p. 87 sqq. —

Tribus denique locis Apollonius affert sententias quorundam doctorum, quae velut Herodianeae veneunt ab Et. M. vel scholiastis:

11, 28 v. *ἄζετο* . . . . *ἐτυμολογοῦσι δὲ* . . . . *οἱ δὲ κατὰ συγκοπὴν ἁζόμενοι ἀντὶ τοῦ ἁγιζόμενοι, ἅγιον ἡγούμενοι, ὅ ἐστι σεβαστόν.* cf. cum Et. M. 22, 29 *ὁ δὲ Ἡρωδιανὸς ἐν τῷ περὶ παθῶν λέγει, ὅτι παραγωγόν ἐστιν ἀπὸ τοῦ ἅγος ἁγίζω, ὡς τεῖχος τειχίζω καὶ κατὰ συγκοπὴν ἅζω.* cf. Lobeckius „Pathologiae gr. serm. el." I 356. In lexico grammatici auctoritatem excidisse formula *οἱ δὲ* perspicuum fit. —

36, 31 v. *ἀνόπαια* . . . . *ἔνιοι δὲ ἀνοπαίως ὅ ἐστιν ἀοράτως* cf. cum schol. *α* 320 *ὁ δὲ Ἡρωδιανὸς ἀνοπαῖα ἀντὶ τοῦ ἀοράτως, ἵν ᾖ οὐδέτερον πληθυντικόν, ὡς τὸ „πυκνὰ μάλα στενάχων" διὸ καὶ προπερισπαστέον φησίν.* —

*) hoc ex Hesychio inserendum esse perspexit G. Curtius, Ber. der sächs. Gesellsch. d. W., phil.-hist. A. XVIII p. 149.

155, 15 *τρόφι τὸ εὐαυξές· „πολλὸν δὲ τρόφι κυλίνδεται“. προενεκτέον δὲ ὡς τρόφι ὡς ὄπι θηλυκῶς. ἐπὶ αὐξήσει ἀκούουσιν, ἀπὸ εὐθείας τῆς τρόφ* etc. cf. cum schol. (Ven. A.) *Λ* 307 *ὅτι τὸ τρόφι ἀποκοπῇ τοῦ τρόφιμον. ὁ Ἡρωδιανός φησιν ὅτι ἔστη τῇ πήξει τῇ αὐξήσει.**) —

Attamen cum Herodianum scripta quaedam**) Apollonii novisse satis constet, Apollonium rursum ex Herodiano hausisse parum verisimile videtur esse. Facile autem fieri potuit, ut non solum quas sententias primus protulit, sed etiam quas a prioribus grammaticis prolatas amplexus est Herodianus, eae Herodiani esse perhiberentur.

---

*) Lehrsius „Herodiani etc.“ p. 461 scholion ita legit: *ἡ διπλῆ ὅτι.* | *Τὸ τρόφι ἀποκοπῇ τοῦ τρόφιμον ὁ Ἡρωδιανός φησιν.* | *Ὅτι ἐστὶ τῇ πήξει ἢ τῇ αὐξήσει.* cf. Hes.: *τεθραμμένον. μέγα. „πολλὸν δὲ τρόφι κῦμα“. γέγονε δὲ κατὰ ἀποκοπὴν τοῦ τρόφιμον.*

**) cf. Herod. ed. Lentz I 115, 13; II 470, 2; 472, 13; 522, 27; 554, 14; 572, 13 qui loci omnes ad alia scripta Apollonii atque ad lexicon spectant. Quod et ipsum ab Herodiano adhibitum non modo, sed interdum etiam vituperatum esse Polakius „Over het ontstaan“ p. 11 studet demonstrare.

CAPUT TERTIUM.

De doctrina Apollonii Sophistae.

§ 1.

Fontibus, quos Apollonius adhibuerit, exploratis, liceat mihi perscrutari, quomodo iis usus sit, et quid de suo addiderit. Qua in re ea nimirum quaestio plurimum valet, quae sit ratio inter Aristarchum et Apollonium Sophistam.

Initio autem praemonuisse velim lectorem Aristarcheam carminum Homericorum recensionem scilicet non praesto fuisse Apollonio. Cuius rei ea tantum affero testimonia, quae litterarum ordine alphabetico vel tota disputatione muniuntur:

16, 31 v. *ἀΐδηλον* exhibet Ap. in versu *E* 757 „*τάδε ἔργ' ἀΐδηλα*", Aristarchus „*τάδε καρτερὰ ἔργα*" cf. schol.

17, 3 v, *ἀϊδρείῃ*. in versu *H* 198 Apollonius „*ἀϊδρείῃ*", Aristarchus „*οὐδέ τι ἰδρείῃ*" cf. Ludwichius Ar. H. T. ad hunc locum.

30, 14 v. *ἄμπνυτο* Ap. *ω* 349 „*ἄμπνυτο*", Ar. „*ἔμπνυτο*" cf. Ludwichius l. l. ad *X* 475.

53, 30 v. *γαμέσσεται* sic. Ap. *I* 394. Ar. *γε μάσσεται* cf. schol.

54, 18 v. *γερήνιος* interpretatur Ap. vocabulo *ὁ ἔντιμος*, quod *Π* 196 „*γερήνιος ἵπποτα Φοῖνιξ*" in suo habuit exemplari. Egregie rem explanavit Lehrsius[3] p. 105 sq. Aristarchus contra legit: „*γέρων ἱππηλάτα Φοῖνιξ*".

Quibus praemissis primum quidem eorum capitum quae Aristarchi mentionem faciunt condicionem inspiciamus!

Atque fortasse miraberis, quod Aristarchus tam raro ad partes vocatur, cum totum lexicon eius doctrina refertum sit. Sed ea ipsa videtur causa fuisse, cur Aristarchum laudare non soleret lexico-

graphus nisi certis rationibus adductus: ut principis grammaticorum insignes quasdam observationes praedicaret, ad eum lectiones et atheteses revocaret, doctorum dissensiones narraret. Et ne ipse quidem reformidat diserte et plane Aristarcho adversari. Qua in re cum aliquando in errores inciderit, aliquando rectius viderit quam Aristarchus, sanum certe se praestat atque cautum criticum.

Haec sunt testimonia:

ἰόμωροι 91, 24.
κερδαλεόφρων 98, 23.
λάων 107, 15.
νηλεῖς 116, 22 cf. p. 4.
περιρρηδής 130, 7.
σκῶλος 143, 3.
ὑπερικταίνοντο 158, 8.
ὑπεροπλίσαιτο 159, 12.

Ex qua serie solum mihi verba facienda propter Forsmanum p. 38 de capite *κερδαλεόφρων* 98, 23. Aristarchus enim cum *κερδαλέος*, *κερδαλεόφρων*, *κέρδιστος* omnia „callidum" significare voluisset, cf. Lehrsius[3] p. 117, Apollonius alios grammaticos secutus statuit *κερδαλέον* esse „lucrificum", *κερδαλεόφρων* „lucri cupidum", solique voci *κέρδιστος* notionem permisit „callidi". Ceterum caput 98, 1 *κερδαλέον* et decurtatum et depravatum est, cf. Hesychius s. v.: *δόλιον πανοῦργον ἢ κέρδη περιποιοῦντα* (*καὶ*) *ὠφελείας*. Atque etiam Et. M. affert aliquid ad Apollonium emendandum: 505, 53 „*Ἔνθα δὲ Σίσυφος ἔσκεν, ὃ κέρδιστος γένετ' ἀνδρῶν*" *ἀντὶ τοῦ συνετώτατος. κέρδιστον γὰρ τὸν συνετώτατόν φασιν. οὐ γὰρ ἂν τὸν πρόγονον αὐτοῦ πανουργότατον εἶπεν. οἱ δὲ νεώτεροι τὴν λέξιν ἐπὶ τοῦ φιλοκερδοῦς λαμβάνουσιν*. cf. Carnuthius de Et. M. f. I 15. Fortasse igitur locus Ap. ita restituendus est: *κερδαλέον δόλιον πανοῦργον ἢ κέρδη περιποιοῦντα καὶ ὠφελίας. ὅταν δὲ λέγῃ* „*ἔνθα δὲ* . . . . . . *ἀνδρῶν*" *ὁ συνετώτατος, καὶ οὐχ ὁ πανουργότατος*.

Caput autem *στρεπτοῖο χιτῶνος* 145, 21 (cf. Forsmanus p. 45) valde dubito, num huic seriei inserendum sit, cum Aristonicus ad *Φ* 31 eam ipsam sententiam, quam Apollonius Aristarcheae praefert, Aristarchi esse perhibeat. Fortasse igitur 145, 22 pro *ὁ δὲ Ἀρίσταρχος* scribendum est *ὁ δὲ Ἀπίων**).

---

*) Sic etiam 100, 32 v. *κλυτόπωλος* nomina Apionis et Aristarchi inter se commutare malim. cf. Lehrsius[3] p. 152.

Contra huic classi adscribendi sunt ii loci quibus Apollonius repugnat Aristarcho, eius tamen auctoritas ab epitomatoribus in *ἔνιοι* sim. deflexa est.

4, 21. *ἀγέλαστα οὐ γέλωτος ἄξια, ἀλλ' οἷον ἀγανακτήσεως· „δεῦθ' ἵνα ἔργ' ἀγέλαστα καὶ οὐκ ἐπιεικτὰ ἴδησθε." ἔνιοι δὲ γέλωτος ἄξια. βέλτιον δὲ τὸ πρῶτον.* Refellit igitur Aristarchi lectionem *γελαστά* cf. schol. *θ* 307.

110, 19. *μείλια μειλίγματα, χαρίσματα, οἷς ἀπομειλίσσονται. λέγει δὲ οὕτως καὶ τὴν προῖκα, „ἐγὼ δ' ἐπὶ μείλια δώσω·" τὸ γὰρ ἐπί πρὸς τὸ δώσω. ἔνιοι δὲ ἐπιμείλια συνθήκας ἤκουσαν.* cf. schol. (Ven. A.) I 147 *ἐπιμείλια Ἀρίσταρχος ἓν μέρος λόγου παρέλαβεν ὡς ἐπιφέρνια* etc. cf. Lehrsius[3] p. 110.

113, 28. *μορφνόν μορόφονον, τὸν διὰ τοῦ φόνου τὸν μόρον ἐπιφέροντα. τινὲς δὲ εἶδος ἀετοῦ, ἄλλοι ἅρπαγα.* Exstat lexis in versu *Ω* 316:

„*αὐτίκα δ' αἰετὸν ἧκε, τελειότατον πετεηνῶν,*
μόρφνον θηρητῆρ', ὃν καὶ περκνὸν καλέουσιν."

ubi Aristarchum et *μόρφνον* et *περκνόν* aquilae speciem intellexisse ex scholio Herodiani discimus. Scilicet etiam in voce *περκνόν* explicanda Apollonium oportuit ab Aristarcho discedere, cf. 130, 12, quod caput cum *μορφνόν* 113, 28 haud scio an unum effecerit corpus. —

Aristarchi autem auctoritatem sub *τινές* in capite *ἀργεστᾶο νότοιο* 42, 26: *τινὲς τοῦ λεγομένου λευκονότου. ἔστι δὲ ταχέος· τέσσαρας γὰρ μόνους οἶδεν Ὅμηρος ἀνέμους* latere non ausim concludere ex scholio (Ven. A.) *Λ* 306 *πρὸς τὸ σημαινόμενον, ὅτι τὰ συνιστάμενα ὑπὸ τοῦ Λευκονότου νέφη ὁ Ζέφυρος διατινάσσει. ¦ ὁ δὲ καλούμενος Λευκόνοτος σφοδρότερός ἐστιν. Ὅμηρος δὲ τέσσαρας ἀνέμους μόνους οἶδεν* cuius priorem partem usque ad *διατινάσσει* Friedlaenderus Aristonico tribuit. Nam cum Apollonius egregiam atque Aristarcho dignam exhibeat observationem, Aristonicus contra inania atque superflua tradat, haud scio an Aristonicus in errore versetur de Aristarchea doctrina. —

Ad *ἀνέχησι* 36, 19 quod attinet, Forsmanus p. 31 immerito inducit Aristarcho adversantem lexicographum, cum Aristarcheam sententiam non improbet, sed explicet. Neque magis succedit res viro docto p. 33, cum Apollonium p. 74, 11, lexeos *ἐπισταμένου ξ* 359 metaphrasin: *ἐπιστήμονος* Aristarcho tribuentem errare contendat, quod iste *ἐπίστασθαι* idem valere atque *δύνασθαι* observaverit. Non vidit igitur participii absoluti *ἐπιστάμενος* non eandem esse condicionem

atque verbi ἐπίσταμαι infinitivum regentis. Doceat velim Forsmanus, quo tandem modo Aristarchus ἐπισταμένως reddiderit. cf. Ameis-Hentze ad δ 231. Sed iam veniam me esse nacturum confido Apollonium a Forsmani conatibus defendere supersedentem, qui tum potissimum istum ignorare arbitratur Aristarchi doctrinam, cum eum laudet.

Jam venimus ad locos, quibus Aristarchi nulla fit mentio, percensendos. Verum cum initio mihi proposuissem locos notare, qui manifestum praebent Apollonii atque Aristarchi concentum, hoc intra fines his commentationibus concessos propter nimium eorum numerum fieri non posse mox intellexi. Quae cum ita sint, satis habeo omnes hic attulisse locos, quibus Apollonius Aristarchi nomen omittens ab Aristarcho recedat. Atque 110, 11 v. μέγα in versu *B* 111 explicando et ipsum eum in scholae errorem incidisse supra iam commemoravimus p. 23. Neque urgendum est, quod 154, 24 v. τρίγληνα Apionis explicationem, id quod rarissime contigit, praefert Heliodoreae, quam eandem fuisse atque Aristarcheam e scholio Aristonici ad *Ξ* 183 discimus, nam casu quodam eum fugisse videtur Aristarchi placitum. —

Secuntur duo exempla, quae suo iure Apollonium ab Aristarcho desciscere comprobant, si re vera Aristarchea exhibent scholiastae. Sed levia sunt. Nam 16, 17 v. αἴθεται versum „αἰθομένοιο πυρός" *Π* 81 passive explicat, cum Aristarchus generum verbi enallagen statuerit. cf. Friedlaenderus Ar. p. 3. Atque 110, 35 v. μέλπεσθαι lexin et παίζειν et ὑμνεῖν significare vult, quamquam Aristarchus notionem cantandi abhorrere ab hoc verbo docuerat. cf. Friedlaenderus Ar. ad *A* 474. —

Excipiunt paucae res grammaticae. 24, 4 v. ἀλκί hauc formam derivat ab inaudito nominativo ἄλξ; Aristarchus autem per metaplasmum dativum explicat. cf. schol. (Ven. A.) *E* 299 v. supra p. 23. — Contra 98, 21 v. κευθμῶνες genitivum κευθμῶν *N* 28 per syncopen ex κευθμώνων natum esse putat, cum Aristarchus (cf. schol. Aristonici) nominativum κευθμός sibi finxerit. — 30, 21 v. ἄνα admittit praepositionis ἀνά anastrophen, quam Aristarchus exterminaverat. cf. Lehrsius quaestt. epp. p. 72. —

Haec omnia sunt testimonia*), quod quidem meminerim, ubi

*) Errores nonnulli Apollonii hoc loco adiciendi sunt, quorum Aristarchus expers putandus est, quamquam disertis caremus testimoniis. 12, 8 v. ἀήρ

Apollonius Aristarcho adversatur nomen eius omittens. Miraberis certe quam pauca sint, si quam multis in capitibus Aristarchus confutandi causa excitetur tecum reputaveris. Neque magnis profecto in rebus ostendunt loci, quos attuli, dissentientes Apollonium et Aristarchum! Consulto igitur noluisse videtur Apollonius repugnare Aristarcho, quin eius auctoritatem produceret. Quod si recte statuimus, mirum quantum amplificatur lexici auctoritas, quamvis ubique cautionem adhibere misera eius forma clare iubeamur.

Sed ne cui neglegenter egisse videar, iam adscribam nonnullos locos, qui cum primo aspectu ab Aristarchea doctrina abhorrere videantur, a me supra omissi sunt. Omnes autem enumerare non pertinet ad consilium meum.

Ac primum quidem profero exempla, ubi auctoribus de Aristarcho aliquid narrantibus fides deneganda est:

99, 23 v. *Κήτειοι γένος Μυσῶν. τῶν ἅπαξ εἰρημένων.* Contra Aristarchum *κήτειοι* voce *μεγάλοι* reddidisse narrat scholion *λ* 521, de cuius tamen fide iam Lehrsius[3] p. 152 recte dubitavit. —

16, 8 v. *αἰσυντῆρι.* Si Didymus ad *Ω* 347 non modo lectionem, sed etiam metaphrasin Aristarchi nobis tradidit, mirandum est, quod Apio eodem modo atque Aristarchus interpretatur lexin, quam aliter scribit. Sed haud scio an liceat suspicari Didymum errasse, cum Apollonius hic ut alias Apionem novarum rerum cupidum armis ex Aristarchea supellectile desumptis propulsare videatur. —

Exstant autem non ita pauci loci, quibus epitomatorum culpa effectum est, ut Apollonius adversantis Aristarcho speciem praeberet. Veram tamen Apollonii sententiam cognoscere nobis licet ex Hesychio. Sic caput *ἀργεϊφόντης* 42, 10 fortasse olim continebat explicationem inter alias ab Hesychio servatam: *ταχέως καὶ τρανῶς ἀποφαινόμενος,* quam Aristarcho deberi Sengebuschius „Aristonicea" p. 26 suspicatus est.

50, 11 *ἄωροι τῶν μὲν ἅπαξ εἰρημένων, ὠμοί, ἐπεὶ λέγομεν ὡρίμους καρποὺς τοὺς πεπείρους, ὠμὸν δὲ τὸν ἄγριον. τινὲς δὲ ἄωροι ἀφύλακτοι, οὓς οὐκ ἔστι φυλάξασθαι.* Plenior est Hesychius s. v.

---

inepte masculinum et femininum discernuntur. 36, 29 v. *ἀντιόων* per participium futuri potius explicandam fuisse lexin statuit Sengebuschius „Aristonicea" p. 20. — *ἄητον* 12, 1 et *ὀρίνετον* 122, 33 in versibus I 4 et 5 explicandis per imperfectum reddit Apollonius in errorem lapsus cf. Friedlaenderus Philol, VI, p. 671 an. 4. —

εἰ μὲν δασέως γράφει τὸ ω ὠμοί. ὥριμοι γὰρ οἱ πέπειροι· εἰ δὲ ψιλῶς ἀφύλακτοι. βέλτιον δὲ οἱ μὴ δυνάμενοι ὀρούειν. ἐνερρίζωται γὰρ ταῖς πέτραις ἡ Σκύλλα καθάπερ οἱ κοχλίαι. Proxime igitur accedit Ap. ad Aristarchi de Scyllae figura sententiam, quae schol. *μ* 89 legitur. —

57, 11 *δειελιήσας τῆς δείλης ἐμβρωματισθείς* abhorret ab Aristarcho, cuius erat paraphrasis: „*πρὸς τὴν δειλινὴν ὥραν παραγενόμενος, τουτέστι τὴν μεσημβρίαν. ἢ τὴν ἑσπερινὴν διατρίψας.* cf. Carnuthius Ar. ad *ρ* 599. Sed mancum esse caput Apollonii patet ex Hesychio: *τὴν δειλινὴν ὥραν διατρίψας. ἢ τὸ δειλινὸν ἔμβρωμα λαβών, οἷον δειπνήσας.* —

58, 31 *διερῷ διύγρῳ.* cf. Lehrsius[3] p. 48. Hesychius *διερῷ ποδί ὑγρῷ ἔτι ἀπὸ τῆς βάσεως ποδί. οἱ δὲ ζῶντι, ἐνεργῷ.* —

60, 25 *δυσπέμφελος ὁ δυσάρεστος.* cf. cum Hes. s. v. *ἐπὶ μὲν τῆς θαλάσσης ἡ δυσχείμερος καὶ τραχεῖα καὶ ταραχώδης. ἐπὶ δὲ τοῦ κολυμβητοῦ δυσάρεστος.* Priorem autem Hesychii interpretationem Aristarcho placuisse docet Aristonicus ad *Π* 748. —

Ad 77, 32 *ἔστορι* etc. quod attinet vide supra p. 14. —

113, 30 *μορόεντα οἷον ἀθάνατα, μόρον μὴ μετέχοντα* Sengebuschius (Pape, Wörterb. etc. ed. III) recte annotavit Apollonium respicere lectionem *τρίγλην᾽ ἀμορόεντα Ξ* 183. Explicationem autem lectionis *μορόεντα* Aristarcho probatam excidisse et lemma *μορόεντα* ostendit et Hesychius: *μετὰ πολλοῦ καμάτου πεπονημένα.* —

127, 12 *πανημέριοι δι᾽ ὅλης ἡμέρας.* Contra cum Aristarchi doctrina (cf. Lehrsius[3] p. 151) consentiunt ea, quae adicit Hesychius s. v. *πανημέριος: οὐχ ὁ δι᾽ ὅλης ἡμέρας, ἀλλ᾽ ὁ ἀφ᾽ οὗ τις ἂν ἄρξηται μέρους. ἢ καὶ δι᾽ ὅλης ἡμέρας καταχρηστικῶς.* —

Facilis emendatio interdum est adhibenda, ut Apollonius fiat sui similior. Sic 88, 5 *θῆτες οἱ δουλεύοντες οὕτως λέγονται* ante *δουλεύοντες* inserendum esse patet *ἀντὶ μισθοῦ.* cf. 59, 19 *δμῶες δοῦλοι, ἀπὸ τοῦ δεδμῆσθαι καὶ ὑποτετάχθαι* atque schol. *δ* 644 *σημειοῦνταί τινες. ὅτι διέστειλε τοὺς θῆτας ἀπὸ τῶν δμώων. θῆτες γὰρ λέγονται οἱ ἐλεύθεροι μέν, μισθῷ δὲ δουλεύοντες. δμῶες δὲ αὐτοὶ οἱ δοῦλοι, παρὰ τὸ δεδμῆσθαι, ὅ ἐστιν ὑποτετάχθαι* cf. Carnuthius Ar. ad *δ* 644. —

126, 19 v. *πάλος* Apollonius consentit cum Aristarcho, si v. 21 pro *πεπαλᾶσθαι* scribis cum Lehrsio *πεπαλάχθαι*, cf. Ludwichius Ar. H. T. ad *Η* 171. —

135, 22 pro *πρόμος ὁ βασιλεύς, ὅ ἐστι πρόμαχος* legendum *πρόμος ὁ πρόμαχος οὐχ ὁ βασιλεύς* cf. Lehrsius[3] p. 101. —

145, 12 *στομάχοιο θέμεθλα τὴν φάρυγγα, στόμα τῆς κοιλίας.* cf. Lehrsius[3] p. 150. Scribe potius: *τὴν φάρυγγα, οὐ τὸ στόμα τῆς κοιλίας.* cf. Hesychius s. v. *τὸν φάρυγγα, ἤτοι τὸ τῆς κοιλίας στόμα.*

Postremo autem monendum est Apollonium interdum immerito speciem praebere ab Aristarcho desciscentis quod ex compluribus locis Homericis unum respicit. E. g. caput 37, 4 *ἀνδροτῆτα ἀνδρειότητα* unum interpretari vult versum Homericum *Ω* 6. Pace enim Friedlaenderi (Ar. ad *Ω* 6), qui ubique Aristarchum *ἀνδροτῆτα* accepisse pro *τὴν ἀνδρὸς φύσιν* sibi persuasit, assentior Roemero: „Ein Dichter und ein Kritiker etc." p. 25 non abhorrere ab Aristonico eam scholii ad hunc versum partem, ubi inter causas atheteseos fuisse hunc ipsum singularem usum vocis *ἀνδροτής* pro *ἀνδρεία* narratur. Sed de hac re hactenus!

Quod vero supra sententiam tuli consulto Apollonium non adversari Aristarcho, quin eum laudaret, inde certe non sequitur, ut non quaedam suppressis auctorum nominibus adiecerit, quae aut ex aliis fontibus aut de suo hauserit. Tamen his additamentis non ita multum tribuendum est, cum res etymologicas plerumque contineant. Ceterum Apollonius, quamvis minime dubitet Aristarchum bonis argumentis nixus refellere, strictum se praebet sectae Aristarcheae asseclam. Cui tantopere magistri doctrina in sucum et sanguinem transiit, ut ad hanc normam omnia aliorum placita diiudicet: cf. 126, 32 *τοῦτο δὲ οὐκ ἄν τις ἐξ Ὁμήρου παραστήσειε.*

135, 2 *ἐπεξηγεῖται γὰρ αὐτός* (sc. Homerus).

141, 34 *ἀλλ' ὡς πολλὰ τῶν βαρβάρων ἐθνῶν, ἃ οὐ πάντως ἐτυμολογοῦμεν.*

§ 2.

Pauca admodum habeo, quae de ceteris praeter Aristarchum fontibus dicam, cum dignum quaesitu hoc tantum videatur, quomodo Apione atque Heliodoro usus sit Ap. Reliquorum enim rarissima fit mentio.

Atque Apio quidem, quid praestitisset Homero, penitus perspexit. Raro igitur fit, ut eum sequatur, etsi nusquam fere vehementius eum castigat. Haud insulse autem interdum aggreditur dicacem hominem. E. g. Apio lexin *πολιόν τε σίδηρον* 132, 33 cum

